



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 51. Oiselius pro Synodi translatione ad Hispaniæ Regem missus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

lici statum, & rationes, ob quas pacem cum Calvinistis iniisset, in quadam congregatione Patribus exponeret: quamprimum ergo Briagus advenit, mox Legatos invisit, eisque demandata sibi negotia exposuit: cum vero Patres, ne Rex Concilium ad quamdam Germaniæ urbem transferri postularet, pertimescerent, ac de ejusmodi urbe transfigendi potestatem fuisse ab eo datam suspicarentur, hinc Legati Briagum rogabant, ut ipsis Regis literas communicaret, priusquam illæ in Conventu prælegerentur, ne postea congruum desuper responsum dare, ipsis haud ultra integrum esset. Annuit eorum votis Briagus, verum in hisce literis ea, quæ postulari verebantur, contenta non reperiabant.

§. LI.

Oiselius pro Synodi translatione ad Hispaniæ Regem missus.

Nec tamen vana erat Legatorum suscipio; quippe Galliarum Rex jam exeunte Mense Aprili Alegrum Romanam, & Oiselium ad Philippum II. decreverat, ut ejusmodi translationem procurarent; eapropter Oiselius omnistudio Hispaniæ Regi persuadere nitentur, quod Synodus Tridenti celebrata in pluribus Christiani Orbis Regnis

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

Pallav. c. 3.
Rayn. hoc
ann. n. 79.

tan-

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

tanquam Oecumenica non haberetur, proin ad tollenda Ecclesiæ mala, atque ad sopiendos præcipue Gallici Regni tumultus idonea non esset. Quinimo Oiselius etiam declarabat, quod tunc, si aliud Concilium forte in Germania non celebraretur, Galliarum Rex Synodum Nationalem cogere vellet.

§. LII.

Hispaniæ Regis responsum ad Oiselli sollicitationes.

Hispaniæ Rex Gallo hanc in sententiam respondit: „Dubitari non potest, Tridentinum Concilium esse legitimum, & Oecumenicum, cum sit a Romano Pontifice convocatum, & per solemnes Ecclesiæ ritus firmatum, nec illi obest aliquarum nationum absentia: Oecumenicum enim Concilium constituitur convocationis auctoritate, & solemnè promulgationis forma, non vero præsentia omnium Præsulorum, eorumque, qui jus interveniendi obtinent: porro quod objectatur huic Concilio a transfugis ab Ecclesia, id quoque objici posset cunctis veteribus Conciliis Oecumenicis, in quibus semper defuerant nonnulli ex illis, qui convenire poterant, ac deberent: ut proin, si exceptio illa admitteretur, Synodorum omnium auctori-

tas